

mendandæ virtutes oppositæ optimorum Theologorum insignia ornamenta. Quamvis in Theologia morali virtutes istæ præcipiantur, nihilominus earum exercitium in disputationibus est urgendum, quo juvenes virtutum præcepta exprimere, discant, quæ ibi sunt tradita. His addo patientiam, ut si forte verbis aculeatis pungamur, patienti animo feramus, si modo divinus honor non lædatur. Memores simus eorum, quæ Paulus præscripsit Rom VI. 4. *in omnibus nos approbantes ut Dei ministri, tolerantia multa, in oppressionibus, in necessitatibus in angustiis &c. v. 6. puritate, scientia, lenitate, bonitate, Spiritu Sancto charitate non simulata. &c.* Quæ virtutes cuivis ministro Ecclesiæ & quam maxime religionis defensori sunt necessariae. Addiscenda ergo est patientia, quo deinde in feriis certaminibus pro veritate & gloria Dei agendis, injurias, afflictiones & quævis incommoda feramus, & fortunarum jacturam cum Jobo cap. I. 21. ignominiam cum Davide II. Sam. XVI. lubenti animo suscipiamus, & Salvatorem nostrum sanctosque Apostolos sequamur. Experientia edocet, prudentem patientiam bonas intentiones ad scopum provehere, impatientiam vero easdem turbare & cohibere. Quot vero commoda Christiana patientia Ecclesiæ promittit, tot damna indignatio, quæ superbiæ comes est, eidem comminatur. Impatientia, Tertulliano iudice, ex Diaboli sinu prognata est, qui fines cupiditatum a DEO circumscriptos ferre non voluit, & ex hoc fonte in mortales est propagata. Nolo Ecclesiæ nostræ ulcera tangere, sed hoc reticere non possum, impatientiam & superbiam plurima mala in Ecclesiam invexisse. Animo quidem forti & intrepido veritatem divinam defendimus exemplis Apostolorum inducti, sed ex indignatione a disputatione ad convitia descendere, & clanculum calumniis & mendaciis alterum laceffere, falsisque suspi-

gioni-